



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. I. De opinione dubiè, aut probabiliter tantùm probabili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

saltem sit tanta certitudo opinativa, quæ excludat omnem practicam dubitationem, five ea dicatur certitudo moralis, five non; quod est de voce.

N. Nonum est conscientiam esse actum prudentialem, ut dixi d. 4. esto autem non omne iudicium probabile sit prudens, ut *ibidem* dixi; nam iudicium probabile purè speculativum non est prudens, prudentia strictè sumptâ, hæc enim non est actus intellectus speculativi, sed practici, ut constat ex S. Thom. 1. 2. *qu. 57. art. 5. & 2. 2. qu. 60. art. 4.* & Caiet. fuse *ib.* immò esto nec omne iudicium practice probabile sit prudens, nisi sit certò probabile, ut dicam *sect. 3.* attamen omne iudicium certò probabile practice est prudens, ut docui d. 10. & 11. ubi etiam ostendi omne iudicium certò prudens esse æquè impossibile cum peccato formali, ac iudicium prudentius: & ideo passim offendes apud DD. quòd opinio certò probabilis practice est, quæ nititur motivo prudenti, aut motivo, quod movere potest virum prudentem: adeo verum est, quòd omnis opinio formalis certò probabilis practice sit iudicium prudens.

N. Porro, quid sit prudentia, sæpe dixi cum Arist. 5. *Ethic. cap. 5.* quòd sit Recta ratio agendorum; quâ definitione sæpe utitur S. Tho. Thom. 2. 2. *qu. 47. 49. 50. 51.* & sæpe ostendi satis esse, ut actus prudentie, etsi hæc sit virtus intellectus, sint veri veritate sibi proportionatâ, nempe practice veri, quia, ut dixi n. 26. ex S. Thom. & Caiet. prudentia non est virtus intellectus purè speculativi, cujus veritas consistit in cognoscendo, seu in cognitione objecti ut est in se; sed intellectus practici, cujus veritas consistit in dirigente ad actum conformem appetitui recto, seu regulis morum; & quia objectum prudentiæ, & ejus materia sunt actiones humanæ morales rectificandæ; & ob hoc prudentia numeratur inter virtutes morales, cum ejus objectum sit formaliter morale, seu verum practicum, ut rectè M. Tapia *rom. 2. lib. 4. qu. 1. art. 3. & 4. & 7.* qui subdit prudentie convenire certitudinem moralem, quæ tollit dubium practicum, etsi aliquando prudentiæ possit subesse falsum, ut contigit Jacob in accessu ad Liam unde illud iudicium, quod fuit speculative falsum, erat moraliter, & practice verum, & certum, & sufficiens regulare actionem rectam virtutis castitatis. Hæc M. Tapia. Et ideo est certò certius dari assensus prudentes speculative falsos, talis enim est omnis error invincibilis, & omne iudicium putatum certò moraliter verum, in re tamen falsum. Quare la-

tissimè d. 4. 5. & 6. impugnavi dicentes idem esse judicare prudenter, ac judicare verè: si enim sermo sit de veritate speculativâ, olet Janfenismus; si de veritate practica, verum dicit, at non dicit, immò dicit oppositum. Vide quæ dixi d. 6. ubi probavi, quòd dictamen invincibiliter erroneum sit practice verum per conformitatem cum regulis morum; immò est regula morum, cui conformari tenemur; si autem tenemur conformari, utique est prudens, nullus enim obligatur nisi ad prudenter agendum. Porro si error speculativus potest esse practice verus, & habere certitudinem practicam, ut contingit dictamini invincibiliter erroneis est enim essentialiter connexum cum non peccato, & impossibile cum peccato; multò magis dictamen certò probabile practice poterit esse practice verum, & certum veritate practica, seu essentialiter connexum cum non peccato, & repugnans peccato.

SECTIO III.

An necessaria saltem sit certitudo Probabilitatis ad licitum opinionis probabilis usum?

§. I.

De opinione dubiè, aut probabiliter tantum probabilis.

SUMMARIUM.

Status questionis, n. 42.

Utraque questio locum habet in sententiâ etiam Probabilioristarum. Explico, n. 43.

Questio est de certitudine cadente supra probabilitatem, non supra veritatem, n. 44.

Non licet sequi opinionem dubiè probabilem, n. 45.

Eo ipso quòd S. Thom. dicat non licere sequi opinionem, si ex opinionum varietate incido in dubium, eo ipso vult debere esse certò probabilem, *ib.*

Rationes. Quia dubia probabilitas est probabilitas simul, & non probabilitas, immò est suspensio omnis assensus de probabilitate, a n. 46. ad 49.

Non licet sequi opinionem probabiliter tantum probabilem, n. 50.

DD. hoc negantes, *ib.*

Plerique male citantur à Torrecilla, *ib.*

Maiori jure citari potest P. Cardenas, n. 51. & 52.

Impugnatur, *ib.*

Cur ego proposuerim statum questionis sub his terminis, An liceat sequi probabiliter probabilem? potius quam sub his, An satis sit opinio probabiliter probabilis? n. 55.

CNT

Car non liceat sequi probabiliter tantum probabilem? n. 56.

DD. tuentes non esse licitum sequi probabiliter tantum probabilem, n. 57.

Plerique supponunt, ib.

Citantur DD. à n. 57. ad 61.

P. Suar. ait, quod probabilitas non habens probabilitatem oppositam faciat certitudinem moralem, n. 59.

Cui est probabilis emissio voti, non autem non emissio voti, tenetur ad votum, ib.

Calumnia est, Probabilitas iudicare satis esse probabiliter probabilem, n. 60.

N. 42. **U**o sub hac sectione comprehendimus, Primum, an liceat sequi opinionem dubie probabilem; alterum, an liceat sequi opinionem probabiliter probabilem. Quod si neutrum liceat, eo ipso nullam opinionem probabilem, nisi ejus probabilitas sit moraliter certa, sequi licebit.

N. 43. **V**trumque autem dubium habere locum non tantum in sententiâ Probabilitarum, sed etiam Probabilioristarum, & Tutoristarum, certum mihi est, ut deinde ponderatum vidi in P. de la Fuente in Theol. Reform. diff. 4. n. 55. & 56. Quæro enim, an satis sit dubia probabilitas opinionis probabilioris? Rursus quæro, an satis sit, ut probabilitas opinionis probabilioris sit merè probabilis, an potius ejusdem opinionis probabilioris probabilitas debeat esse certa moraliter? Idem dico de sententiâ Tutoristarum; quamvis enim certum per eos sit, quod sit sequendum strictius, attamen sæpe concurrunt duo præcepta incompatibilia, & ignoratur quodnam præponderet; & licet dicatur, præponderare strictius, adhuc tamen inter DD. controversatur quodnam ex illis sit strictius, & uni unum, alij aliud strictius dicitur. Tunc autem ecce eadem difficultas, an ut obliget satis sit dubie strictius, an probabilis strictius; an necessaria sit certitudo moralis de maiori obligatione hujus potius, quam illius præcepti, ut teneat operari? Ergo utraque difficultas locum habet in omni sententiâ.

N. 44. **N**è verò facile dimoveamur ab utroque præsentis quæsitio cadente supra opinionis probabilitatem, non supra opinionis veritatem, sciendum est, quod dubium esse potest tum circa veritatem, tum circa probabilitatem opinionis. Circa veritatem est, quando utraque opinio cognoscitur ut certò probabilis, dubitatur tamen, quæ ex illis sit vera: circa probabilitatem est, quod dubitatur, an ea opinio sit, aut non sit certò probabilis; etenim, ut paulò post dicam Tom. III.

contra P. Eliz. non tantum veritas opinionis, sed & ipsius opinionis probabilitas potest esse dubia, & incerta; sæpe enim dubitamus, an aliqua opinio sit probabilis, aut asserimus eam opinionem non esse certò probabilem, sed ad summum esse probabiliter tantum probabilem; adeoque simul esse probabiliter improbabilem.

Prima conclusio: Non licet sequi opinionem dubie probabilitatis, seu dubie probabilem. Est omnium cum S. Thom. cujus loca exponens M. Medina 1.2. qu. 19. art. 6. concl. 1. dixit, quod S. Thom. unice contendat eum, qui ob varietatem opinionum dubitat de opinionis probabilitate, non posse eam licetè sequi; secus, qui iudicat certò esse probabilem. Idem ait Maitr. in 2. d. 5. n. 116. solvens D. Thom. textum, quo Antiprobabilitat utuntur contra nos, dicens, quod merito S. Thom. dixerit talem peccare, dum tali dubitatione existente eligit opinionem; & ratio est; quia in exercitio partis probabilis intervenire debet iudicium omnino certum, quod licitum sit sibi ita operari. Et post pauca subdit ex textu D. Thomæ ad summum deduci licitum non esse sequi opinionem, quam quis non certò putat esse probabilem.

Ratio conclusionis est evidens; quia opinio dubie probabilis est opinio probabilis simul, & non probabilis: sed non licet sequi opinionem probabilem simul & non probabilem: ergo non licet sequi opinionem dubie probabilem.

Confirmo 1. Dubia probabilitas est probabilitas simul, & non probabilitas opinionis: sed probabilitas, & non probabilitas opinionis est quid illicitum: ergo dubia probabilitas est quid illicitum. Minor patet; nam includit non probabilitatem, sub qua non licet operari.

Confirmo 2. quia dubium strictè summum, ut distinguitur ab opinione, est suspensio omnis assensus: ergo dubium de probabilitate est suspensio omnis assensus circa probabilitatem: sed sine omni assensu operari non licet: ergo non licet sequi dubie probabilem.

Confirmo 3. Tunc probabilitas est dubia, quando dubitatur, an ratio sit gravis: sed cum dubio de gravitate rationis non licet operari: ergo cum dubiâ probabilitate non licet.

Secunda conclusio: Non licet sequi opinionem probabiliter probabilem.

Hæc conclusio à paucis discutitur, esto à plerisque supponatur, quos mox dabo. Est tamen, inquit P. de la Fuente l. c. n. 48. contra B. P. Arriag.

P. Arriag. tom. 1. in 1.2. d. 27. n. 9. Pasqual. *decis.* 28. P. Tambur. lib. 1. in *Decal.* cap. 3. §. 3. n. 9. quibus addo Torrecil. tr. 8. in 3. *dam.* ab Innoc. n. 15. asserentem satis esse opinionem probabiliter probabilem, & citat ex P.

P. Moy. Moya pro se plures, sed immerito, nam P. Valqu. nil prorsus habet; P. Baldellus docet omnino oppositum; P. Salas, ut ait P. de la Fuente num. 49. & 50. excludit opinionem probabiliter probabilem sub nomine probabilitatis dubiae; quod adeo verum est, ut P.

P. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 9. n. 18. pro sua sententia negante, licet sequi probabilitatem dubiam, citet, & probet ex P. Salas, & M. Medina ex iisdem locis, ubi non de probabilitate dubia strictè, seu sine omni assensu opinativo, sed de probabiliter probabili expresse disserunt. Est etiam contra Hozes in 3. *dam.* ab Innoc. n. 10. dicentem, quod esset onus intolerabile, si requireretur certitudo probabilitatis, cum ad dictamen prudens satis sit probabilitas probabilitatis. Sine jure autem M. Hozes citat P. Moyam in Opusculo singulari pro Jesuitis, (si tamen Tomus ille habet pro sui Authore P. Moyam) quasi P. Moya ibi doceat satis esse opinionem probabiliter probabilem; sine jure, inquam, non tantum quia eo in Opusculo tract. de Opin. prob. nihil de hoc habet, sed etiam quia etsi hoc ibi, aut alibi eo in Opusculo diceret, non tamen hoc docet. Quidquid enim integro eo Tomo tradit, ut sepe se declarat, præcipue in *Dedicatoria ad Lectorem circa finem* ait, nulli opinioni se eo in libro Apologetico subscribere; ergo etsi hoc eo in libro diceret, non tamen docet. Quare mihi certum est, quod omnes DD. quos Torrec. ex P. Moyà citat pro sententia dicente, satis esse opinionem probabiliter probabilem, nil tale doceant, sed ad summum unice docent, non requiri judicium certum de veritate; non autem non requiri judicium certum de opinionis probabilitate, aut saltem judicium directum certum certitudine excludente prudens dubium, & formidinem peccati.

Hinc P. Teril. qu. 20. de Reg. mor. n. 3. postquam dixit omnes ferè Authores convenire in negando, quod liceat sequi probabiliter probabilem, loquens de sententia affirmante subdit: *Pauculi aliqui, & quidem valde pauculi, nec tanti nominis Authores expresse dixerunt opinionem tantum probabiliter probabilem sufficere.*

N. Maiori, & fortè non irrationabili jure pro eadem sententia affirmante satis esse opinionem probabiliter probabilem, citari potest P. Cardenas tom. 4. disp. 4. ubi postquam impugnavit Lumbier, & Filgueiram exponentes, quod opinio tenuis probabilitatis idem sit, ac opinio probabiliter probabilis, eam expositionem prorsus rejicit; & cap. 3. 4. 5. 6. ostendit aliud esse opinionem probabiliter probabilem, aliud tenuis probabilitatis; nam tenuiter probabilis est illa, ait, de cujus probabilitate dubitatur, seu dubiae probabilitatis; talis autem non est opinio probabiliter probabilis.

Neque ut P. Card. liberetur à sententia affirmante satis esse probabiliter probabilem, sufficit dicere, quod idem P. Card. expresse neget, quod ut quis sine peccato, & honeste operetur, satis sit opinio ne quidem certo probabilis, multò minùs satis erit probabiliter probabilis; non tantum quatenus P. Card. est Reflexista negans satis esse judicium directum certò probabile de non peccato, quin judicat necessarium esse judicium certum reflexum de non peccato in operando juxta minùs, certò tamen probabile; sed etiam quia idem P. Card. l. c. n. 46. ait, quod ut quis rectè operetur, non satis sit judicium, quo quis probabiliter censeat se non peccaturum, sed ulterius requiri, quod ultimum judicium, quo quis judicat se non peccaturum ponendo talem actionem, debeat esse certum; nam judicium probabile, quo quis probabiliter judicat eam opinionem esse probabilem, non est ultimum judicium, quo quis judicat de rectitudine operationis à se eliciendae. Hoc totum mihi satis non est, ut eum liberem ab opinione affirmante satis esse probabiliter probabilem ad sine peccato operandum.

Ratio mihi est; quia etsi detur, quod aliud N. sit opinio tenuiter probabilis, aliud opinio probabiliter probabilis; rursum quod opinio tenuiter probabilis idem sit, ac dubiae probabilitatis; idem autem non sit opinio probabiliter probabilis, ac opinio dubie probabilis; immò etsi detur, quod judicium probabile, quo quis judicat eam opinionem esse probabilem, non sit ultimum judicium, quo quis judicat de rectitudine operationis eliciendae; adhuc his omnibus concessis semper sequitur, quod hæc propositio vera erit, *Licet sequi opinionem probabiliter probabilem, est deinde requiratur aliud judicium reflexum certum, à quo reguletur operatio eliciendae; sed hoc est nimis laxum; ergo.* Sequela probatur ex principiis còmunibus ipsi P. Card. aliisque Probabilistis Reflexistis; nam hæc propositio, *Licet sequi minus tutam, certò tamen probabilem, est prorsus vera, & certas est juxta eosdem judicii directi certò probabile de licentià non sit ultimum dictamen regulans operationem; quin per illos necessarium est aliud*

aliud iudicium reflexum certū de licito usu minus tutā, & minus, certō tamen probabilis, a quo operatio elicienda immediatē regulatur: ergo a pari licet iudicium probabile, quo quis iudicat opinionem esse probabilem, non sit ultimum iudicium regulans operationem eliciendam, semper verum erit dicere, quod licebit sequi probabiliter probabilem, ut de facto dixere Torrec. & Hozes, qui sunt Probabilistæ Reflexivæ: ergo tota reflexio, qua utitur P. Carden. non liberabit eum ab hac laxā sequela, quod licitum erit sequi probabiliter probabilem; qualecumque deinde sit ultimum iudicium conscientie regulans immediatē operationem: an ipsum iudicium directum probabile reflectens supra probabilitatem opinionis; an aliud reflexum certum supra licitum usum opinionis probabiliter probabilis.

Confirmo 1. quia tota differentia inter has duas propositiones, *Licet sequi certō probabilem*, *Licet sequi probabiliter probabilem*, esse potest, quod formari possit iudicium certum reflexum de licito usu certō probabilis, a quo immediatē regulatur operatio; formari autem non possit iudicium certum reflexum de licito usu opinionis probabiliter probabilis; sed hoc est falsum: 1. quia, cur, si licet sequi probabiliter probabilem, formari non possit iudicium reflexum certum de licito usu probabiliter probabilis? sicut quia licet sequi certō probabilem, formari potest iudicium reflexum certum de licito usu certō probabilis. Secundō, quia vel formari potest iudicium certum reflexum de licito usu probabiliter probabilis, vel non? Si non; cur P. Carden. dicit, quod dictamen reflectens supra iudicium probabile, quo iudicavi opinionem esse probabilem, sit ultimum regulativum operationis? Si potest; ergo semper erit verum dicere, *Licet sequi probabiliter probabilem*, etsi præterea necessarium sit dictamen reflexum. Tertiō, quia aliud est, an satis sit ad fine peccato, aut honestē operandum opinio probabiliter probabilis; aliud, an liceat sequi opinionem probabiliter probabilem. Sicut aliud est, an ad fine peccato, aut honestē operandum satis sit opinio certō probabilis; aliud, an liceat sequi certō probabilem. Potest autem unum stare sine alio; potest enim non satis esse ad fine peccato operandum opinio probabiliter probabilis; & adhuc licitum esse sequi opinionem probabiliter probabilem; ut de facto Probabilistæ Reflexivæ dicunt de certo probabili, cuius usum licitum docent, & tamen negant satis esse ad fine peccato, aut honestē operandum opinionem.

Tom. III.

nionem certō probabilem: & propter hoc, præter iudicium directum certō probabile, volunt necessarium esse iudicium certum reflexum de licito usu certō probabilis, a quo actio proximē regulatur.

Hinc ego tum conclusiones, tum statum questionis propotui potius sub his terminis, an liceat sequi opinionem probabiliter probabilem, quam an satis sit ad fine peccato operandum opinio probabiliter probabilis. Nam negari posset, quod opinio probabiliter probabilis satis sit ad fine peccato operandum, quatenus præter iudicium probabile de probabilitate opinionis requiritur aliud reflexum certum de licito usu opinionis iudicatur probabiliter probabilis; & simul affirmari, quod licitum sit sequi opinionem probabiliter probabilem; ergo si P. Card. semel admittit licitum sequi probabiliter probabilem, quamvis neget eam satis esse ad fine peccato operandum; & neget, quod iudicium probabile de probabilitate opinionis sit ultimum dictamen regulans operationem eliciendam, eo ipso admittit rem nimis laxam, & communi ferē omnium sensu negatam.

Confirmo 2. quia si semel admittatur licitum sequi opinionem probabiliter probabilem, ita ut necessarium non sit sequi certō, sive magis, sive minus probabilem, aperitur aditus dicendi, quod licitum erit sequi opinionem minus probabiliter probabilem, quo nil laxius: ergo nullatenus concedi potest licitum sequi opinionem probabiliter probabilem.

Pro sententiā negante licitum sequi opinionem probabiliter probabilem, sed necessario debere esse certō probabilem, stant ferē omnes, ut ait P. Terillus *qu. 21. de Consc. prob. n. 1.* ubi postquam dixit paucos in hac materiā expressē distinxisse inter opinionem certō, & inter probabiliter tantum probabilem, subdit, quod uno, aut altero excepto, omnes absolute teneant, quod probabilitas debeat esse certa, ut operantem excuset; & citat P. Bardi *d. 4. cap. 10. C. de Lugo d. 10. de Fide sect. 1.* P. Fabri in Dia- logo de Opin. prob. & n. 2. addit: Ego cum istis questionem hanc ad probabilitatem practicam, eamque certam, & indubitatam restringo. Idem repetit P. Teril. *qu. 20. de Reg. mor. num. 3.* quod ut liceat sequi minus, aut magis, aut æquē probabilem, etsi minus tutam, debeat opinio minus tuta minus probabilis esse certō probabilis. P. Faber *Dial. 1. de Opin. prob.* ait, ut plurimum conscientiam probabilem dici, quæ opinione verē ac certō probabili niti-

Bij

tur

P. Gob. tur. P. Gobat in Quinario Tractatu, n. 3.
C. de ait cum C. de Lugo, quod utus opinionis
Lugo probabilis restringitur ad opinionem, cujus
P. Beat. probabilitas est certa. P. Beatus qu. 5. n. 14.

ait: Opinio, quæ non est certo probabilis, non est tuta in praxi; & subdit hanc statui posse regulam in moralibus, eam solam opinionem probabilem, de cujus probabilitate dubitari non potest, esse tutam in praxi. P.

P. Bald. Baldellus lib. 4. de Consc. d. 10. n. 5. ait: Si quis non sit certus quasi reflexe, quod opinio ex quâ operatur sit probabilis, sed timeat, quod non sit probabilis, certum est quod non potest ex tali conscientia operari, cum hoc sit manifeste contra dictamen prudentiæ; & non possit eam formidinem non refundere etiam in ipsam operationem; atque ita hæc formido reflexa de opinionis improbabilitate omnino constituitur in conscientia dubia, non autem in conscientia probabili, ex quâ licet operari. Omitto alios ex Societ. DD. quos plenâ manu citatis fideliter eorum locis, & verbis allegat P. Poll.

P. Poll. lenter in 3. dama. ab Innoc. XI. qui deinde
P. Terill. n. 118. concludit: Quid ego plures recenseam, quando gravissimi testes Terillus, &
P. Fabr. Honoratus Fabri Dial. 9. de Opin. probab. edito Lugd. qui argumentum hoc omne diligentissimè excusserunt, clarè testantur in hanc sententiam convenire ferè omnes Societ. TT. ? Hæc P. Pollenter, & meritò.

Ego enim scio me sæpe legisse in P. Suar. P. Valqu. Valqu. P. Dicast. P. Sanch. P. Palao, C. de
P. Dica. Lugo, P. Moya, & alijs quorum tamen loca non notavi, eo quia animus mihi tunc
P. Sanch. non erat hoc ex professo tractare, sed potiùs
P. Palao ut indubitatum supponere illicitum opinionis
P. Moy. probabiliter tantum probabilis usum; scio, inquam, me sæpe advertisse, quod dicti DD. concedant quidem licitum sequi minùs probabilem, addunt tamen, si sit verè, certo, aut clarè probabilis.

N. Verum ut nostra conclusio non tantum
58. intrinsecè per rationes, sed etiam extrinsecè fiat moraliter certa, citandi mihi sunt alij ex omni ordine Doctores. P. Moya tom. 1. qu. 6. §. 6. n. 35. postquam dedit aliquos sentientes, necessarium non esse ad sine peccato operandum judicium moraliter certum, (intellige de opinionis probabilitate, & actionis honestate) ait oppositam sententiam omnino tenendam, & in eâ convenire omnes; & citat Patrem Bardi dicentem, quod DD. qui

tenisse videntur satis esse opinionem probabiliter probabilem, non voluerint excludere nisi judicium moraliter certum speculativè de honestate objecti, quod verum est, non autem certitudinem practicam de probabilitate opinionis, & honestate actionis ab eâ dictatæ: etenim verum est quod ait P. Vasqu. 1. 2. d. 61. cap. 2. ex Almaino: Non potest adesse prudentiæ dictamen, ubi est maxima (seu prudens) formido pro parte opposita.

P. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. de Voto cap. 5. tractans de obligatione voti dubij, an emissum sit, ait n. 5. Illa probabilitas facit certitudinem moralem, quando non est alia similis in contrarium, quia in rebus humanis non est maior certitudo exigenda, cum vix aliquid per infallibilem evidentiam cognoscamus. Nec oportet distinguere de judicio magis, vel minus firmo, seu cum maiori, vel minori formidine; nam si judicium est reverà probabile in favorem voti, illud sufficit, ut votum integrè servandum sit, etiam si sit minimum, seu cum quacumque formidine, si judicium in contrarium non est probabile. Hæc P. Suar. qui declarat, tum quod quoties una pars ita est probabilis, ut opposita non sit probabilis, tunc ea pars est certo saltem probabilis, & facit certitudinem moralem, quæ maior in rebus humanis non est exigenda: tum quod nemo operari possit, nisi habeat certam probabilitatem; & ideo qui ita habet judicium probabile de voti emissionem, ut non emissio voti non sit probabilis, tenetur votum implere; contra qui non potest formare judicium probabile de emissionem voti, non tenetur illud implere, ut ait n. 7. Idem docet 1. 2. d. 12. sect. 3. n. 2. ubi ait, quod ut voluntas sit recta, necesse est, ut sequatur judicium conscientiæ practicæ certum de honestate objecti, & actionis. Nemo autem negare potest, quod hoc supponat saltem judicium certum de probabilitate.

P. de la Fuente in Theolog. Reform. diff. 4. per totam, qui solus (quem viderim) in terminis fusè, & solidè hanc questionem discutit, & quàm certa esse debeat opinionis probabilitas, ut eam liceat sequi in praxi, & quandonam certa sit, ejusque certitudinis signa luculenter tradit; quod ipsum antea præstiterat P. Terillus qu. 5. & 6. de Consc. immò ibi. qu. 5. n. 7. scribit, quod P. Eliz. lib. 1. qu. 5. §. 2. solemnem intulerit Probabilistis calumniam, dum dixit hos docere satis esse opinionem probabiliter probabilem, nam quasi omnes expressè dicunt debere esse certo probabilem, & ideo toti sunt in tradendis infallibilibus signis probabilitatis.

Ex exteris veniunt in hoc ipsum M. Medina 1. 2. qu. 19. art. 6. dicens ex Divi Thom. 61. textu deduci licitum non esse sequi opinionem, nisi sit certum probabilis. Idem ait S. Th. Maltrius

Maſtrius in 2. d. 5. n. 116. & 126. Caram. in
Dilexi lib. 4. Theol. n. 399. pag. mihi 146.
dicens omnem illum peccare mortaliter, qui
vel elicit actum, de cuius honeſtate dubitat,
vel habet tantum probabiliter, imò proba-
bilitatem, ſed ſolam certitudinem hone-
ſtatis excuſare à peccato. Hoc ipſum re-
perit in Epist. de Poſſeſſ. reg. pag. 344. He-
nrich tom. 2. d. 4. n. 31. Filgucira in Lucerna
in 3. damm. Lumbier tom. 3. Summæ à num.
1737. M. Ferre apud Palanc. qu. 29. n. 271.
Raphael à S. Joan. in Reg. mor. part. 2. qu.
4. Perca paſſim, & alij ſine numero. His ad-
di poſſunt omnes Probabilioritæ, præſer-
tim P. D. Thyrius, Palanco, P. Munies. qui
dicunt, quod ut licitus ſit uſus probabili-
oris minus tutæ, debeat opinio eſſe clarè, &
evidenter, & notoriè probabilior.

§. II.

Rationes concluſionis.

SUMMARIUM.

Quia probabiliter tantum probabilis non eſt ſim-
pliciter probabilis, & eius probabilitas eſt in-
certa, n. 62. & 63.
Distinguenda opinio dubiè, à probabiliter proba-
bili, n. 64. & 65.
Opinio probabiliter tantum probabilis eſt cuius
probabilitas, & non probabilitas eſt probabi-
lis, n. 66.
Eſt incerta eius probabilitas, n. 67.
Obiectio, cur liceat ſequi incertò veram, non in-
certò probabilem? n. 68.
Quid veritas moraliter certa, & quid certò
probabilis? Quid opinio certò probabilis, &
quid probabiliter probabilis? n. 69.
Et quia probabilitas excludit neceſſariò incerti-
tudinem, n. 70.
Opinio probabiliter probabilis eſt aequè connexa
cum peccato, ac non peccato, n. 72.
Et eſt indiſſerens ad probabilitatem, n. 73.
Et quia licebit ſequi probabilius non probabilem,
n. 74.
Et quia ibitur in infinitum in probabilitatibus,
niſi probabilitas ſit certa, ibid.
Et quia probabiliter tantum probabilis eſt ſemi-
probabilis, n. 75.
Evidens mihi eſt non licere uſum opinionis pro-
babiliter tantum probabilis, n. 76.
P. de la Fuente dividit certitudinem moralem in
exactam, & non exactam, n. 77.
Et ait, in plerisque materijs, in quibus certitu-
do moralis exigitur, non exigi exactam, n.
78.
Quoties una pars eſt tantum probabilis, & alia
non eſt probabilis, ea in communi niſi conſe-
tur Tom. III.

moraliter certa, ibid.

Exempla, ibid.

Signa quibus dignoſcitur, quæ opinio ſit certò pro-
babilis, n. 79. & 80.

Eam ſolam ſequi licet, cuius probabilitas eſt mo-
raliter certa, n. 81.

Probatur 1. à P. de la Fuente n. 48. Pro-
babilitas tantum probabilis non eſt ſim-
pliciter, & abſolutè probabilitas, ſed tan-
tum ſecundum quid, & cum addito; quo
modo opinio probabiliter tantum vera non
eſt abſolutè vera; & probabiliter falſa non
eſt abſolutè falſa; & probabiliter certa non
eſt abſolutè certa: ſed probabilitas, quæ non
eſt ſimpliciter probabilitas, ſed tantum ſe-
cundum quid, non eſt ſatis ad ſine peccato
operandum; quis enim dicet probabilitatem
ſecundum quid ſatis eſſe ad conſcientiam?
Ergo probabilitas tantum probabilis non eſt
ſatis ad non peccandum: ergo illicitus eſt
uſus opinionis probabiliter tantum proba-
bilis. Confirmat 1. num. 49. quia ultimum
conſcientiæ iudicium debet eſſe moraliter
certum: ſed nulla dantur principia, ex qui-
bus deduci poteſt dictamen certum de licito
uſu opinionis probabiliter tantum probabi-
lis; ergo ejus uſus non licet. Confirmat 2. n.
51. quia quoties opinio negativa eſt certò
probabilis, affirmativa autem eſt incertò
probabilis, non poſſum prudenter aſſentiri
affirmativæ: ſed omnis probabiliter tantum
probabilis eſt incertò probabilis: ergo nulli
opinionem probabiliter tantum probabili poſ-
ſum prudenter aſſentiri.

Probatur 2. à Lumbier; quia operans ex N.
probabiliter tantum probabili non eſt tutus, 63.
immo formidat de peccato, & amplectitur Lunb.
periculum cognoscens illud; ergo operatur
cum dictamine practice dubio de peccato.
Confirmari poteſt; quia ne quis peccet, ne-
ceſſe eſt, ut formet iudicium certum de non
peccato: ſed ſequens probabiliter tantum
probabilem, non poteſt illud formare; im-
mo format tantum probabile de non pecca-
to; ergo peccat.

Ego tamen etſi plurimum deferam dictis N.
rationibus, attamen, ut rem melius con-
cludam, advertere oportet diſcrimen inter
opinionem dubiè probabilem, & probabili-
ter probabilem; nam Adverſarij, præſertim
P. Carden. diſtinguit inter opinionem dubiè
probabilem, & probabiliter probabilem,
ejuſque uſum licitum eſſe negat; huius affir-
mat: ergo omnia argumenta, quibus opinio
probabiliter tantum probabilis confunditur
cum opinione dubiè probabili, nil probant.
Diſcrimen autem eſt, quod dubium finitè

Bij

impor-